DE

HAEMORRHOIDIBUS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE IX. M. JULII A. MDCCCXXXVIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROL. REINHOLDUS HEYDLOFF

THURINGUS.

ADVERSARII ERUNT:

A. BENZLER, MED. ET CHIR. DR.
E. EICHEL, MED. ET CHIR. DR.
B. RUPPRECHT, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

PARENTIBUS DILECTISSIMIS,

AD CINERES USQUE COLENDIS

NEC NON

PRAECEPTORI CARISSIMO

L. ABEL,

VERBI DIVINI MINISTRO,

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

De haemorrhoidum natura variis temporibus vario modo est disputatum: alii enim, nil nisi haemorrhagias esse, alii, certae hominis aetati non minus esse necessarias, quam menstruationem feminis, contenderunt. Inde factum est, ut illi haemorrhoides omni modo supprimerent, hi contra et medicamentis et victu consentaneo provocare studerent; his adnumerandus est Stahl, qui morbi fontem ex systemate Venae Portarum affecto deduxit: ejus asseclae hac in sententia non acquiescentes omnes excesserunt terminos, quippe qui cunctos morbos inde derivarent et thesin, venam portarum, venam esse malorum, proponerent. Sed his quoque proverbium illud, quod aetatem tulit, medium tenuisse beati, valet, nam haemorrhoides neque simplicibus adnumerandae sunt haemorrhagiis, neque affectionibus illis, quae a pathologis neutrae dicuntur. Omnia symptomata infra commemoranda et uberius tractanda, prae omnibus regio lienalis vel hepatica tumefacta, pressa, oppleta, tum Vena Portarum dilatata et, quod parietum indolem attinet, mutata, porro tunica intestini recti relaxata, denique, quod omnium est gravissimum, sanguis, vasis haemorrhoidalibus effusus, degeneratus et colore maxime opaco tinctus, haemorrhoides re vera morbum

esse probant. Sed priusquam ad morbum ipsum describendum transeam, nonnulla de anatomica structura partium haemorrhoidibus maxime affectarum adjiciam. In intestino recto adhuc tres illi musculorum fasciculi, qui jam a coeco incipiunt, possunt animadverti, sed multo sunt fortiores facti et fere totum amplectuntur rectum. Quod fibras musculares attinet transversas, magis magisque unum in locum congregantur et tali modo sphincter ani formatur. Tunica mucosa intestini recti multis glandulis mucosis est obsita, ejusque ostium adipe satis largo circumdatum. De vasorum sanguiferorum decursu haec adnotanda sunt: Arteria haemorrhoidalis interna, quae ortum ducit ex arteria mesenterica inferiori, sanguinem ad superiorem recti partem mittit. Arteria haemorrhoidalis media, modo ex A. pudenda interna, modo ex A. ischiadica oriens, musculis recti inferioribus, nec non vesiculis seminalibus et prostatae, in feminis vaginae quoque, sanguinem suppeditat. Arteria haemorrhoidalis inferior, s. externa, oritur ex A. pudenda communi et sanguinem ad levatorem ani, sphincterem et adipem circumjectum delegat. Venae, quae ex inferiori recti parte sanguinem reducunt, plexum venosum haemorrhoidalem formant et in venam hypogastricam effunduntur; venae superioris recti V. haemorrhoidalem internam componunt, quae cum colica sinistra conjuncta ad V. mesentericam decurrit, quae quidem cum V. lienali truncum Venae Portarum efficit. Praeterea Schlemm demonstravit, V. mesentericam minorem cum V. cava inferiore vasis prope anum jacentibus cohaerere. Haec sunt extrema lineamenta provinciae haemorrhoidibus maxime affectae.

Nunc ii commemorandi sunt libri, quibus ad conscribendum hoc opusculum usus sum:

Wenc. Trnka de Krzowitz, historia haemorrhoidum, omnis aevi observationes medicas continens; opus posthumum ed. Frid. de Schraud. Vindob. 1794 — 1795.

Gli. Mart. W. L. Rau, üb. die Erkenntn. u. Heil. der ges. Haemorrhoidalkrankheiten. Giessen 1821.

Montegre, über die Erkenntniſs u. d. Behandlung der Haemorrhoiden. Aus dem Franz. von F. J. Wittmann. Leipzig 1833.

J. L. Schoenlein, Pathologie u. Therapie. 1837.

SYMPTOMATOLOGIA.

Fere semper haemorrhoides prodromi, motus s. molimina haemorrhoidalia dicti, hanc speciem prae se ferentes, antecedunt. Aegrotus frigus et pondus quoddam in extremitatibus gravissimum, vertiginem, capitis dolorem, pruritum et glandis penis et perinaei, dolores ani tum prementes tum trahentes, sedibus admodum auctos, accusat. Repente dolores pungentes abdomen perstringunt. Plerumque alvus est obstipata, excrementa durissima, eorumque ejectio difficillima, urina colore satis rubro tincta. Omnia probant, sanguinem vi vehementiore ad organa, quae pelvis continet, congeri. Quae haec symptomata sequuntur, maxime inter se differunt, nam modo nullus ex intestino recto mittitur sanguis, modo a tunica mucosa recti et vaginae muci copia solito major secernitur, unde nominantur haemorrhoides mucosae s. albae, modo vel venae ad anum sitae intumescunt, vel sanguis in

adjacentem telam cellulosam effunditur; inde tumores caerulei, magnitudine valde discrepantes, haemorrhoides coecae appellati, oriuntur. Sed utplurimum sanguis ex ano effunditur, unde haemorrhoides cruentae dicuntur. Talem fluxum re vera subsecuturum, horrores saepius repetiti, pruritus in perinaeo, dolores prementes in regione lumbali, tenesmus et calor ani valde auctus, satis probant. Quod locum attinet, sanguis vel ex ani exteriore parte, ita ut locus hunc liquorem secernens perspicuus fiat, mittitur, vel ex interiore recti parte, supra sphincterem posita, quam ob rem sanguis tali in casu tenesmum movet, vel simul cum faecibus, vel merus excernitur. Sedes ipsae vulgo magnos efficiunt dolores, partim propter auctam recti irritabilitatem, partim propter excrementorum duritiem, modum longe excedentem. Sanguis ex ano missus singularem praebet odorem, modo ruber et liquidus, modo coagulatus et colorem ostendens opacum, modo muco commixtus, tenax est et viscidus. Eo ipso temporis momento, quo sanguis est effusus, molimina haemorrhoidalia evanescunt et aegrotus mirifice ab omnibus molestiis praegressis fere extemplo est liberatus. Quod ad quantitatem sanguinis pertinet, varii casus inter se variant. Hic tantummodo nonnullae sanguinis guttae, vel striae sanguineae, vel mucus sanguineus simul cum sedibus excernuntur, illic sanguinis quantitas, vel per se, vel, quod per longius temporis spatium durabat fluxus, nimis magna est. Hominibus, qui haemorrhoides per hereditatem a parentibus acceperunt, deinde iis, qui inter sanguinis fluxum corpus calefaciunt et refrigerant, qui vehementibus corripiuntur animi affectibus, qui potibus

calorem nimis augentibus, cibis et medicamentis irritantibus utuntur, facillime accidit, ut sanguinis effusi quantitas modum longe superet; quae quidem haemorrhagiae partim propter pertinaciam, partim propter vehementiam, partim, quod saepius repetuntur, noxiae evadere possunt. Sanguinis fluxus si per se nimis est magnus et haemorrhagiam imitatur, facillime fit, ut aegroti pereant; nam valetudo magis magisque labefactatur, facies pallido, immo lurido tingitur colore, digestio turbatur et debilitatur, et tandem tales aegroti in icterum, hydropem, febrem hecticam incidunt. Ex contrario, si sanguis parcius mittitur, vel si ejus fluxus in hominibus majori sanguinis jacturae assuefactis subito impeditur, tantum abest, ut molimina haemorrhoidalia evanescant, ut aucta perdurent. Interdum fluxus haemorrhoidalis semel tantum per totam vitam existit et nunquam redit; alibi saepius eum redire et ad senectutem usque durare videmus; quo quidem tempore plerumque evanescit, vulgo sine ullo incommodo; sed interdum brevi post tales senes apoplexia, vomitu cruento, arthritide aliisque morbis, facillime inde provenientibus, afficiuntur. Rarissime fluxus haemorrhoidalis typum quendam servat; nihilominus exempla exstant, quae ostendunt, hunc fluxum normam esse secutum menstruationis. Vulgo semel vel bis per annum, maxime tempore verno et autumnali, haemorrhoides redeunt.

Ut jam supra adnotatum est, h a e m o r r h o i d e s c o e c a e eae nominantur venarum varices, quae sanguine nimis ad anum congesto oriuntur; sed non idem semper ex aucto sanguinis impetu provenire, jam supra est commemoratum; passim sanguis in telam cellulosam ef-

funditur circumjectam. In universum haemorrhoides coecae saepius occurrunt fluentibus, modo harum vices suscipiunt, modo inter se alternant, modo fluentium sunt comites; semper hic quoque vulgares antecedunt motus haemorrhoidales. Varices istae vel in exteriore ani parte inveniuntur, ita ut perspicuae fiant, vel superiorem tenent locum et hac ex causa oculos latent. Sensus quidam, corporum alienorum instar in intestino recto, dolores quasi urentes, preecipue sedibus provocati, hocce haemorrhoidum genus adesse, produnt. Interdum etiam varices superiores perspicuae redduntur, si sedibus protruduntur; primum simillimae sunt acuum capitulis, rubri vel coerulei coloris, quarum copia sensim aucta totum ani circuitum circumdat. Alibi illae varices haemorrhoidales cerasi, immo pomi magnitudinem assequuntur. Haemorrhoides coecae eo tempore, quo molimina haemorrhoidalia proveniunt, extenduntur; quae quidem si decursum absolverunt, iterum diminuuntur. Homines, qui diu jam haemorrhoidibus laborarunt, saepe doloribus, qui in organis ad systema Venae Portarum pertinentibus haerent, vexantur; tales de doloribus prementibus in hepate, liene, in regione lumbali et sacrali, ischuria et tenesmo conqueruntur, veteres varices haemorrhoidales intumescunt et tumores fingunt rubros atque urentes; quodsi locum tenent altiorem, ani exploratio per manum, clysteris ingestio et excrementorum ejectio maxime est dolorifica; varices propelluntur, inflammantur, facillime in suppurationem transeunt; inde abscessus, ulcera, fistulae, indurationes benignae et malignae oriuntur. Nodi illi magis magisque amplificati et sphinctere constricti permagnos efficiunt dolores; interdum

nimio sanguinis impetu rumpuntur, unde haemorrhagiae non raro lethales evadunt. Haemorrhoides coecae si in feminis existunt, vaginae pruritum provocant, coitum difficilem imo dolorificum reddunt, graviditati obstant et partum impediunt. Inflammatio harum varicum, cum saepius recrudescit, vasorum parietes permutat eosque cartilagini simillimos reddit; sanguis, quem vasa continent, coagulatur. Quod causas attinet, quibus gignuntur haemorrhoides coecae, partim mechanicae, ut balanorum, clysmatum acrium abusus, partim dynamicae sunt accusandae. Si ex causis prodiere internis, semper criticae sunt indolis et, quamvis magnas afferant molestias, nunquam supprimendae.

Haemorrhoides et qualitate et loco esse possunt incongruae.

Qualitate sunt incongruae, si ex aucto sanguinis impetu ad intestinum rectum non fluxus oritur haemorrhoidalis, sed actio glandularum mucosarum ibi positarum augetur. Non raro fit, ut utrumque haemorrhoidum genus inter se alternet, ut nunc haemorrhoides existant fluentes, nunc mucosae. Mucus aut glandulis supra sphincterem positis secernitur, quamobrem tenesmum movet, aut glandulis anum circumdantibus; hic muci fluxus non est impeditus et tenesmus deficit. Plerumque muci secretio per aliquot dies perdurat. Quod qualitatem muci attinet, admodum variat, modo mitis est, modo acris. Idem valet de odore singulari ejusque colore, modo viridi, modo magis rubro. Saepissime haemorrhoides mucosae in hominibus occurrunt aetate jam provectis, cachecticis, arthritide et rheumatismo laborantibus. Interdum etiam cum hoc haemorrhoidum

genere inflammatio conjungitur intestini recti chronica, unde abscessus, ulcera, fistulas, indurationes oriri videmus. Duplici modo haemorrhoides mucosae sunt incongruae, si in partibus genitalibus et organis uropoeticis existunt.

Interdum fit, ut sanguis non ex ano, sed ex aliis organis, ex gr. e genis, gingivis, palato, mammis femineis, naribus, auribus, pulmonibus, ventriculo, renibus, vesica urinaria, utero et vagina effundatur. Tales haemorrhoides loco dicuntur incongruae. Nunc jam ab initio tali modo anomala manifestantur, nunc haemorrhoides fluentes sunt praegressae; sed hic quoque diversae animadvertuntur rationes: vel haemorrhoides congruae et incongruae inter se alternant, vel incongruae congruas sequuntur suppressas; illic certo potest colligi, homines talibus haemorrhoidibus ab initio jam incongruis laborantes singulari indole, quam hereditate a parentibus acceperunt, esse praeditos. In utroque casu simul cum fluxu haemorrhoidali incongruo omnia evanescunt molimina. Alibi alia ratio occurrit. Indole illa haemorrhoidali statim aliae provocantur affectiones, ex. c. congestiones ad organa interna, inflammationes, praecipue autem spasmi, vel colica illa haemorrhoidalis dicta, quae haec prae se fert symptomata. Aegrotus de abdominis doloribus vehementissimis et trahentibus conqueritur, anus spasmo est conclusus, simul calor internus auctus, respiratio valde impedita et alvus obstructa. Quae omnia si bene succedunt, morbus diarrhoea decernitur cruenta. Hoc in morbo affectiones spasticae simul cum sanguinis congestionibus sunt conjunctae; quam ob rem saepius accidit, ut talis colica haemorrhoidalis in

enteritidem veram transeat. Tale autem periculum ne instet, timendum est, si haemorrhoidibus cruentis subito suppressis dolores singulis horis augentur et integumenta abdominalia ne levissimum quidem tactum ferunt, si abdomen tympani instar est extensum et simul febris exstat inflammatoria, pulsu duro et frequenti sese manifestans.

Saepius occurrunt affectiones haemorrhoidales lienis. Sanguine hoc ad organon congesto, ipsius ambitus ita augetur, ut digitis perspicue possit distingui. Mox autem haec intumescentia aliis quoque signis manifestatur objectivis, nam respiratio est impedita et tussis existit sicca et brevis, simul dolores lienis sentiuntur pungentes, ciborum assumtione admodum aucti; ventriculus intumescit et dolores efficit, aegroti de sensu quodam, quasi liquor calidus in illum effundatur, conqueruntur. Tum magna sequitur vomendi cupiditas et denique vomitu materiae ejiciuntur nigrae.

Rarius haemorrhoidibus incongruis afficiuntur renes; quod si factum est, aegroti dolores prementes in regione lumbali, plerumque utriusque lateris, trahentes juxta urethrum decursum accusant. Urinae secretio est impedita et perturbatio organorum gastricorum accedit. Quamquam ciborum appetitus non est diminutus, aegroti nihilominus omnes cibos vomitu ejiciunt. Saepe dolores magis magisque augentur, abdomen retrahitur; omnia vomitu redduntur, urinae secretio suppressa est; repente magna fuscae urinae copia, quae, si refrigerata est, sedimentum efficit in matula sanguineum, mittitur.

Haemorrhoides vesicales et fluxum haemorrhoidalem suppressum sequuntur et passim ejus sunt comites.

Aegrotus in vesicae cervice vehementes sentit dolores contrahentes, mictu admodum auctos. Qui quidem cum magnum assequuntur vehementiae gradum, fieri quoque potest, ut urina prorsus retineatur, vel certe guttatim stillet; mox dolores ad perinaeum quoque extenduntur. Primum urina non est mutata, tum autem colorem accipit fuscum; nonnunquam urinae mucus admodum tenax est admixtus. Si urethra cathetere exploratur, mox impedimentum vesicae introitum concludit, quum venae hoc in loco valde sint extensae.

Saepius accidit, ut haemorrhoidibus afficiatur uterus. Plerumque feminae hoc malo laborantes aetate sunt provectiores, quibus indoles quaedam inest hereditaria. Tum organon affectum deprimitur, venae vaginales tumescunt et collum uteri ipsum est tumefactum. Certis temporibus, sed nequaquam cum menstruatione convenientibus, sanguis nigri immo picei effunditur coloris.

Interdum fit, ut fluxus haemorrhoidalis non intret, sanguis ne ad rectum quidem intestinum congeratur. Aegroti tamen magnam regionis epigastricae oppressionem conqueruntur. Quae regio si manu disquiritur, tumefacta et saepius pulsans invenitur. Loco isto manu compresso magna oritur anxietas, ad lipothymiam usque evecta. Habitus plerumque praesto est venosus. Mox hydropicae accedunt affectiones, praesertim intumescentia oedematosa extremitatum inferiorum. Passim mala existunt asthmatica. Cadavere secto ostium cordis venosum, nec non Venam Cavam adscendentem dilatatam invenimus.

Saepissime haemorrhoides incongruae aggrediuntur pulmones. Aegroti querelas edunt de pulmone vel

alterutro vel utroque presso. Pectus, cum digitis percutitur, sonum hic vel illic praebet hebetem et auribus respirationem impeditam perspicue percipimus. Huc accedit tussis, faciei, labiorum, genarum et linguae pallor. Morbus si longius procedit, haemorrhagiae ex pulmonibus oriuntur.

Jam supra relatum est, vertiginem semper adesse moliminibus adhuc durantibus. Sed passim re vera major sanguinis copia ad cerebrum congeritur. Tum caput maxime est oppressum et gravissimum, choroidea nimio sanguine impleta caerulea, per scleroticam, vasis varicosis obsitam, transparet. Visus valde est depravatus et non raro inde Amblyopia amaurotica originem ducit. Nonnunquam vertigo ita augetur, ut aegroti apoplexia affecti sibi videantur. Aures tinniunt, susurrant, auditus est difficilis. Omnia haec symptomata modo crescunt, modo decrescunt, plurimum aestate, alvi obstructione et usu ciborum quorundam augentur.

Si sanguinis copia solito major ad medullam spinalem congeritur, rigor in cervice, dorso et extremitatibus superioribus animadvertitur, deglutitio est impedita. Simul dolores pectus comprimentes, ad dyspnoeam et affectiones asthmaticas usque aucti, percipiuntur.

Exstat valetudo quaedam minus commoda, quae si haemorrhoides apparent, tollitur, e contrario autem, si non existunt vel si exstitere et subito evanuere, in morbum permutantur malignum. Tales haemorrhoides vocantur suppressae. Periculum tamen exstat multo majus, si haemorrhoides fluentes repente supprimuntur; tum enim secundum Stahlii sententiam externae dolores renales, lumbaginem, mictum cruentum, extre-

mitatum inferiorum paralysin, **internae** cardialgiam, alvi obstructionem, colicam, physconiam hepatis et lienis, vomitum cruentum, morbos cordis et maniam excitant. Quaecunque aegrotum vehementer perturbant, fluxum haemorrhoidalem subito possunt intercipere, praecipue animi affectus deprimentes, curae, anxietas, timor, pavor, tum refrigeratio ani, pedum et alvi, deinde omnia, quae solitam vitae rationem offendunt, venaesectio inepta, emetica, remedia admodum roborantia et adstringentia.

Jam verba nonnulla sunt facienda de haemorrhoidibus **obstructis**. Fluxus haemorrhoidalis variis causis potest obstrui, seu diminui, partim, quod necessitas, talimodo aliquam sanguinis partem ex corpore derivandi, est sublata, partim quod aegrotus jamjam provectior est aetate, eumque vires, talem crisin perficiendi, deficiunt, partim, quod alter adhuc in corpore praesto est morbus. Sed omnia exempla nunc allata non ad haemorrhoides obstructas sunt referenda, quod nihil anomali inest. Aliter res se habet, si sensim sensimque haemorrhoides fluentes evanescunt earumque locum aliae occupant affectiones, ex. gr. hysteria, vomitus cruentus, vitia cordis, rheumatismus. Maxime corpus admodum calefactum, animi affectus, irritamenta gastrica, arthritis, dyscrasia syphilitica, medicamenta adstringentia, cibi calefacientes conferunt, ut fluxus haemorrhoidalis magis magisque cedat.

Haemorrhoides dividuntur in **internas** et **externas**. Alii eas vocant externas, quae citra sphincterem, internas, quae ultra hunc musculum inveniuntur, alii ex arteriis, quae sanguinem ad locum affectum mittunt, di-

visionis principium petunt, easque appellant externas, quae ex arteria haemorrhoidali externa, internas, quae ex art. haem. int. originem ducunt. Quam quidem divisionem non multum valere, jam ex anatomica sequitur structura. Stahl ejusque asseclae non ex arteriis, sed ex venis haemorrhoidalibus dividendi principium sumunt. Haemorrhoides externas vulgo comitantur dolores lumbales et crurales, extremitates inferiores torpore hebescunt; his suppressis haemorrhagiae, arthritis et crurum paralysis provocantur. Haemorrhoides internae, ad venam haemorrhoidalem internam pertinentes, magis affectiones gignunt organorum abdominalium, ex. gr. hysteriam, hypochondriam, flatulentiam, colicam, cardialgiam, quod vena jam dicta sanguinem mittit ad Venam Portarum; haemorrhoidibus internis perturbatis et suppressis morbi hepatis et lienis chronici, vomitus cruentus, hydrops provocantur.

Haemorrhoides, cum vel caussis externis vel internis gignuntur, vocantur acquisitae et oppositae sunt congenitis s. hereditariis; salutares nominantur, si vel morbos malignos tollunt, vel impediunt, quominus hominem alius morbus multo pejor aggrediatur; vel simplices sunt vel compositae, i. e. aliis morbis conjunctae. Si dolorificae fiunt, digestionem et somnum perturbant, immo, si per longius tempus durant, febrem hecticam inducunt; dolores autem oriuntur hic, cum vasa recti sanguifera nimis sunt impleta, illic, cum hanc partem simul vel rheumatismus vel arthritis afficit, vel, cum excoriationes, ulcera, fistulae, indurationes adsunt. Vehementissimi facillime oriuntur dolores, unde haemorrhoides furentes dictae, si varix aliquis sphin-

cetero constrictus inflammatur. Interdum externi varices simul cum partibus circumjectis in inflammationem transeunt, tum tumores ex rubro caerulei, maxime dolorifici, medicis furunculi haemorrhoidales dicti, oriuntur, qui facillime in inflammationem et gangraenam trunseuntes ulcera relinquunt fistulosa. Non raro haemorrhoidibus affecti inflammatione erysipelatosa praeputii, scroti, labiorum pudendorum laborant; fere semper adsunt frequentes penis erectiones et pollutiones. Pruritu vehementissimo perinaei, etiam ad scrotum et crura usque extenso, modo crescente, modo decrescente, in lecto autem admodum aucto, tales homines non minus cruciantur. Saepe cutis loci affecti colore fusco tincta, largum fundit et singularem sudorem, haemorrhoidalem dictum; quo quidem sensim sensimque viscidiore facto cutis subjecta desquamatur.

AETIOLOGIA.

Jam ex anatomica structura venarum ad Venam Portarum sanguinem mittentium patet, totum hoc systema ad plethoram venosam admodum esse propensum; nam omnes valvulis, quae sanguinis motum adjuvant, carent. Huc accedit singularis Venae Portarum structura, quae in hepate arteriae instar extenditur, deinde valde eximia venae haemorrhoidalis internae, quae sanguinem ex ano ad Venam Portarum ducit, longitudo, denique defectus musculorum adjacentium sanguinem propellentium. Quae quidem si accuratius pensitantur, facillimum est intellectu, sanguinis motum quam maxime esse retardatum, unde fit, ut carbogenium sanguinis augeatur et plethora vel tantum abdominalis, vel universa-

lis adducatur. Haec sanguinis ad venositatem propensitas adhuc augetur, si forte hepatis vel lienis structura sit mutata, vel vasa sanguifera abdominalia sint relaxata. His omnibus autem intestinum rectum maxime affici, statim elucet, nam fere semper, sub quaque corporis conditione legitima, infimum organorum gastricorum tenet locum; praeterea semper impletae vesicae urinariae excrementis supra positis et sphincteri constringenti est obnoxium. Itaque non est, quod miremur, si in arteriis quoque sanguinis motus retardetur, si irritatae majorem sanguinis copiam adducant; qui quidem vel in telam cellulosam adjacentem exsudetur, vel vasorum sanguiferorum parietes dilatet, vel prorsus dirumpat, necesse est. Sed in universum prae omnibus nimia sanguinis abdominalis venositas, in valido quoque corpore admodum valida, est accusanda; haec ratio maxime efficit, ut venae praeter normam crescant, praecipue in intestino recto, unde varicositates. Maxime autem talis indoles ad plethoram venosam propensa in hominibus, quorum parentes arthritide vel affectionibus hypochondriacis laborarunt, occurrit. Rarissime jam in pueris exstant haemorrhoides, et si adsunt, maxime causa hereditaria est accusanda. Sed nihilominus etiam in pueris provocantur haemorrhoides abusu drasticorum purgantium, clysmatum acrium et balanorum, quibus omnibus facillime perversa vasorum sanguiferorum gignitur actio. Plerumque demum aetate virili in lucem prodeunt, ubi jam in universum major sanguinis venositas invenitur, praecipue autem in organis gastricis. Haemorrhoides si jam in adolescentia existunt, vel organorum genitalium functiones nimis esse excitatas, vel tales homines

vitae ratione nimis irritante esse usos probant. Sexus virilis magis fluentibus afficitur haemorrhoidibus, femineus coecis; nam hic vasa sunt laxiora, tum feminae plerumque vitam degunt sedentariam, denique graviditas et partus saepissime causam praebent efficientem. Menstruatio si in feminis cessavit, non raro fit, ut haemorrhoidibus afficiantur fluentibus. Omnes homines malo hysterico vel hypochondriaco laborantes, temperamenti melancholici vel atrabilaris admodum propensi sunt hunc ad morbum. Quae quidem indoles in morbum verum potest converti omnibus rebus, quae majorem sanguinis ad anum confluxum efficiunt; sed talis auctus sanguinis ad intestinum rectum motus etiam sine ulla singulari indole, si per tempus longum durat, morbum provocare potest haemorrhoidalem.

Inter causas primarias hae sunt numerandae: cibi et potus nimis debilitantes et irritantes, medicamentorum, theae, coffeae, vini et spirituosorum, aromatum, allij, purgantium drasticorum, ex. gr. Hellebori, Aloes etc., cerevisiae humulo lupulo abundantis abusus, tum omnia quae intestinum irritant et sanguinis fluxum hanc ad partem augent, praecipue continuus clysmatum acrium abusus, alvi obstructio diuturna, corpora intestino infarcta, nuclei prunorum et cerasorum deglutiti, prolapsus ani saepius repetitus, charta ad anum perpurgandum adhibita, quae acria continet et caustica, flagrantia, onania, coitus frequentissimus, diarrhoea diuturna, dysenteria, inflammatio intestini recti chronica et indurationes; idem valet de inflammatione chronica et induratione prostatae, uteri et vaginae. Denique causae mechanicae, quae liberum sanguinis motum impediunt,

vita sedentaria, si simul abdomen comprimitur, quam ob rem sutores et sartores saepissime hoc morbo afficiuntur, status erectus diuturnus, uti typographorum, graviditates frequentiores, partus difficiles et vestimenta nimis arcta demum sunt nominanda.

PROGNOSIS.

Multis hominibus, in quibus functio organorum gastricorum est laesa, haemorrhoides plerumque sunt salutares; nam simul cum fluxu haemorrhoidali plethora venosa in menses vel annos tollitur. Nihilominus haemorrhoides nunquam sunt adjuvandae, quum magnas secum ferant molestias. Nam mox oriuntur haemorrhagiae, quo facto necesse est, natura sanguinem amissum restituat; quae quidem non solum priorem sanguinis quantitatem restituit, sed etiam majorem gignit copiam. Tali modo sanguinis impetus tantummodo augetur, alii provocantur morbi, structura intestini recti laeditur et degeneratur, et ut brevibus comprehendam, status antea melior in pejorem vertitur; idem ergo valet de prognosi. Haemorrhoides ex causa mechanica ortae semper sunt noxiae; quae ex indole quadam hereditaria provenere, magis sunt salutares, nam homines affectos ab aliis morbis malignis, a vomitu cruento, gastrodynia, arthritide, morbis hepatis et lienis chronicis tuentur. Cum haemorrhoides jam aetate puerili in lucem prodiere, semper, aegrotum constitutionis admodum debilis esse, probant; cum in feminis gravidis existunt, abortus est timendus, praesertim si valde sunt dolorificae. Haemorrhoides nimis copiosae illico possunt aegrotum necare, vel certe valetudinem prorsus labefactare et leucophlegmasiam, hydro-

pem et febrem hecticam gignere. Non minus periculosae sunt haemorrhoides incongruae et periculum eo majus est habendum, quo gravioris momenti organon, quod provinciam, sanguinem haemorrhoidalem e corpore expellendi, suscepit.

CURATIO.

Haemorrhoides quidem maximas secum ferunt molestias, quae ut tollantur, aegrotus semper vehementer exoptat; plerumque autem nulla salus est speranda; nam si singularis quaedam exstat indoles hereditaria, haemorrhoides unicum sunt naturae refugium, unicum remedium, tales homines ab aliis morbis multo pejoribus tuendi. Quam maxime respicienda sunt haec Celsi dicta: »atque in quibusdam parum tuto supprimitur; qui »sanguinis profluvio imbecilliores non fiunt, habent enim »purgationem hanc, non morbum. Ideoque curati qui»dem, cum sanguis exitum non haberet, inclinata in prae»cordia ac viscera materia, subitis ac gravissimis cor»repti sunt morbis.« Hic haemorrhoides nunquam sunt tollendae, sed tantummodo coercendae, temperandae et ita ducendae, ut ordinem quendam servent. Tali curatione quamvis molestiae non prorsus possint auferri, certe tamen status ille morbo admodum consimilis facilius ut perferatur, efficitur. Tum praecipue necesse est, aegroti in aëre modice calido vitam degant, omnem refrigerationem cautissime vitent, jam sub vesperam cubitum eant et primis diei horis, luce adhuc dubia, lectum relinquant, nunquam alvi obstructionem, ne per unum quidem diem patiantur, omnem nimiam virium exercitationem et quemque animi affectum vehementem fugiant.

Vitae ratio simplicissima esse debet et aegroto cibis tantummodo facile digerendis est utendum; omnia, quae flatus movent et irritant, noxam afferunt. Vestimenta nimis arcta sunt deponenda, quum sanguinis motum impediant. Sed altera parte non minus est noxium, si alvi obstructio purgantibus tollitur drasticis. Quae quidem praecepta accuratissime semper ab aegroto respiciantur, maximopere eo tempore, quo molimina haemorrhoidalia intrant, necesse est. Aegroti si juvenes sunt, si sanguine abundant et forti gaudent constitutione, antiphlogistice sunt curandi. Cibis fruantur tenuibus, quotidie magnam aquae copiam bibant, necesse est. Passim maxime juvabit, venaesectionem instituisse. Alibi autem in vitae actionem nimis irritatam incidimus. Hic alia methodus est adhibenda. Excrementorum ejectio medicamentis alvum leniter ducentibus est adjuvanda, simul autem Valerianae, Millefolii praeparata sunt in usum vocanda. Sed omnium creberrime status occurrit torpidus in organis gastricis et plethora venosa inde exorta. Haec prae omnibus est respicienda et frequenti motu sub dio, abdominis frictionibus, cibis eupeptis, quotidiano magnae aquae quantitatis haustu, clysmatibus refrigerantibus, balneis calidis, medicamentis alvum leniter purgantibus, praecipue Crem. Tart., Tart. tart. et extractis illis, quae amarum quoddam simul cum mucilagine continent, ex. gr. Graminis, Taraxaci, Saponariae, Chelidonii, Millefolii etc. tollenda. Qua quidem sublata, multum prodest, ad remedia tonica et roborantia transire. Hic praecipue possunt adhiberi: vinum rubrum, potus frigidus, clysmata frigida et abdominis lotiones frigidae. Curatio

finienda est fortioribus remediis roborantibus, Chinae et ferri praeparatis.

Nunc paucis verbis usus lactis et pomorum est commemorandus. Medici quum sententiam foverent, vitae rationem hominum haemorrhoidibus laborantium simplicissimam esse debere, factum est, ut aegrotorum victum praecipue in lac redigerent et pomum. Quod lac attinet, plerumque hoc in morbo est rejiciendum, partim, quod difficile est digestu, partim, quod acida gignit in ventriculo. Multo utilior usus est pomorum, praecipue autem eorum, quae magnam sacchari mucilaginosi copiam continent. Omnium primum locum tenent uvae.

Sed hae quoque non ad quemque casum respondent. Rejiciendae sunt, si aegroti debiles et decrepiti sunt, eorumque systema nervosum abdominale perspicua irritationis prae se fert signa, ex contrario maximum praebebunt commodum, si aegroti sanguine abundant.

Quum mos ita ferat, ut medicus talibus aegrotis opulentioribus aquas proponat soterias, plerumque eae eliguntur, quae salibus alvum leniter ducunt. Sed hic maxime juvabit, accuratissime et inter singulos casus et inter aquas soterias distinxisse. Fontes Mattiaci et Carolini iis praecipue erunt utilissimi, quorum morbus ex nimia irritatione est ortus; aptiores sunt fontes Kissingenses, si aegroti degebant vitam vel luxuriosam, vel sedentariam. Ubi autem status adest magis ad nervosum proclivus, locum tenent Amesis et Gastuna. Morbus si longius jam decurrit, si status ille nervosus aquis his dictis non prorsus est sublatus, aquae quoque martiales possunt adhiberi, quae maximum praebent commodum, si forte haemorrhagiae antecesserint valde de-

bilitantes. Tali in casu Pyrmontium, Bockletum et Brückenavia possunt laudari. Etiam aquae sulfuratae, si herpes exstat haemorrhoidalis, sunt commendandae.

a) Curatio moliminum haemorrhoidalium.

Quamquam causa moliminum haemorrhoidalium tantum ex aucto sanguinis ad intestinum rectum impetu est petenda et omnes molestiae simul cum fluxu haemorrhoidali evanescunt, nihilominus non semper medici est, hunc fluxum adjuvare. Ex contrario semper cavendum est, ne intret, praecipue si talis fluxus nondum affuit; nam facillime inde fit, ut semper semperque redeat. Aliter res se habet, si molimina haemorrhoidalia graviores gignunt affectiones et hac ex re periculum imminet; tum fluxus est adjuvandus remediis infra commemorandis. Itaque, si talia non sunt respicienda, tantum sanguinis congestio ad anum temperanda est. Aegrotus quieti se tradat, omnem cibum et potum irritantem, obstipantem et flatulentum vitet et quotidie sufficientem aquae quantitatem bibat, necesse est. Molimina si existunt vehementiora, si abdomen et intestini recti ostium dolent, si aegrotus sanguine abundat, pulsus durus est et plenus, prae omnibus venaesectio in pede est instituenda, hirudines ad anum applicandae, alvus Crem. tartari, Tart. tart., Sal. anglic., ducenda. Status si magis ad spasticum vergit, aptissima sunt balnea calida, fomentationes abdominis et clysmata spasmos moderantia, ex. gr. ex Herb. Valerianae, Flor. Chamomillae, Herba Millefolii parata.

b) Curatio haemorrhoidum fluentium.

Quod ad quaestionem attinet, utrum fluxus haemorrhoidalis facile curetur, necne, prae omnibus morbi fons

est respiciendus. Si indoles exstat haemorrhoidalis, aegrotus fere nunquam radicitus sanatur; si ex rebus noxiis localibus, ut obstructione frequenti, clysmatibus acribus, vita sedentaria, graviditate frequentiori, haemorrhoides provenere, curatio multo est facilior et nulla detrimenta sunt timenda. Haemorrhoides regulares et ad sanguinis quantitatem adaptatae criticae sunt habendae et nil postulant, nisi attentionem singulis paroxysmis impendendam, ne supprimantur vel modum excedant. Aegrotus aërem nimis calidum et nimis frigidum vitet, quamque refrigerationem cautissime prohibeat, vitam degat simplicem, pomis et prunis aqua coctis fruatur, potus calefacientes, animi affectus et excitantes et deprimentes, quamque nimiam virium exercitationem a se arceat, necesse est. Quaeque ad alvi obstructionem propensio medicamentis alvum leniter ducentibus, Ol. Ricini, Crem. Tartari, Tart. tartarisato, est tollenda. Passim propter nimium sanguinis profluvium timendum est, ne aegrotus, qui pallet, frigescit, qui anima linquitur, cui aures sonant oculique micant, animam simul cum sanguine effundat. Talis fluxus, nisi illico aegrotos necat, facile tamen, si per longum tempus durat, vel saepius repetitur, alia provocat mala; nam serius ocius aegroti in hydropem, vel febrem hecticam incidunt. Hic quovis modo fluxus sanguinis est coercendus. Sed semper tali in casu medicum maxima prudentia uti oportet, praesertim si morbus ex diathesi quadam provenit. Multo audacius medicus aggredi potest morbum, neque hereditarium, neque criticum, neque inveteratum, sed recentem et causis noxiis localibus ortum.

In fluxu haemorrhoidali coercendo prae omnibus respiciendum est, quamnam prae se ferat speciem. Cum e statu inflammatorio originem ducit et aegrotus fortis est constitutionis, sanguine abundat, maxima animi tranquillitas et corporis quies est commendanda, cum in strato cubare oportet; interne vulgaria remedia antiphlogistica sunt adhibenda, Cremor tartari cum Nitro. Utrum venaesectio instituenda sit, necne, pulsus docebit. Alia existit ratio, si status occurrit erethicus, pulsus parvus invenitur et duriusculus, tum parvae Ipecacuanhae doses in usum sunt vocandae; si magnus potuum appetitus, aestus subitaneus et pulsus est excitatus, tum parvae naphtharum doses cum Opio optime adhibentur, simul extremitates sunt perfricandae, sinapismi ad pedes applicandi, inunctiones antispasmodicae et balnea calida instituenda. Denique si status exstat torpidus, medicamina adstringentia, ex. gr. Alumen, Kino, Katechu, Tormentilla, Bistorta, Ratanhia; omnium adstringentium longe fortissimum est Vitriolum Martis, sed quum mox affectiones efficiat dyspepticas, semper cum aromatico quodam conjungendum est. Passim morbum ex materiis ventriculo vel tubo intestinali infarctis ortum invenimus; tum medicamenta leniter alvum ducentia locum tenent, passim ex suppressa cutis functione, tum haec Antimonialibus, Camphora, Spiritu Mindereri est restituenda. Si sanguinis profluvium est maximum et fieri non potest, quin medicamentis coerceatur internis et periculum inde imminet, ad remedia localia confugiendum est. Tum cataplasmata vel ex aqua frigida mera vel ex Tormentillae, Bistortae, Gallarum turcicarum decocto refrigerato, cui alumen vel Vitriolum mar-

tis additum est, parata, vel injectiones vini rubri, vel clysmata, vel balnea frigida sunt adhibenda. P. Frank linamenta spiritu vini imbuta ano imponenda commendat. Sed omnia haec remedia tantum adhibenda sunt, si status exstat torpidus; cautissime iis est utendum in statu erethico. Hic praecipue laudandae sunt injectiones ex Gummi Mimosae, vel Ichthyocolla paratae; quae omnia si nullum afferunt commodum, tantummodo ex vasis vel linamentis compressis vel ligatis salus est petenda. Quod quidem ita perficitur. Linamentorum penicillus, filo affixus, vel aluminis solutione, vel spiritu vini tenuato tinctus, quam altissime in intestinum rectum ingeritur et reliqua recti pars linamentis eodem modo praeparatis impletur; vel linamenta crucis instar posita, in media parte colligata, albumine vel aluminis solutione uncta in rectum immittuntur. Si haec linamenta ingesta profluvium non coercent, tantummodo ligatura vasorum restat. Cum his remediis sanguinis fluxus est prohibitus, causae noxiae, ne haemorrhagia fiat recidiva, sunt removendae. Maxime medico est circumspiciendum, num vitia adsint hepatis vel lienis. Si haemorrhagiae fons ex sanguinis abundantia est derivandus, ambulando sub divo aegrotum corpus exercere, cibis frui tenuibus, magnam quotidie aquae quantitatem bibere oportet. Quaeque alvi obstructio vulgaribus medicamentis illico tollenda est. Aegrotus si irritabilis est constitutionis, permagnum inter curationem secundariam commodum praebebit usus Millefolii et Asae foetidae. Ubi sanguinis profluvium ex laxitate organorum gastricorum provenit, maxime laudanda sunt Veronica, Pimpinella, folia Rosarum, serum lactis aluminatum, balnea

marina, clysmata sensim sensimque frigidiora facta. Adstringentia caute sunt adhibenda, quod facile inde alia oriuntur mala multo pejora. Alibi multum prodest usus lactis asinini et seri. Interdum haemorrhagiae ex varicibus oriuntur, quarum curatio infra tractabitur. Hucusque tantum de fluxu nimio diximus; alia adhuc de fluxu parco proferemus. Cum totus paroxysmus haemorrhoidalis praeteriit et fluxus sanguinis cessavit, medicus caute periculum potest facere, totam indolem haemorrhoidalem prorsus delendi et morbo medendi. Rarissime talis conatus bene succedit, praesertim si aegrotus jam ex longo tempore haemorrhoidibus affectus, debilis est constitutionis et morbis chronicis organorum gastricorum laborat. Hic fere nil nisi vita bene instituta, ne haemorrhoides perturbentur, salutem potest afferre. Aegrotus quamque refrigerationem cautissime a se arceat, nunquam in sellis calidis et pulvinaribus, sed in sellis ligneis vel ex arundine textis sedeat, necesse est. Praecipue iis, qui fluxu laborant nimio, sellae ligneae, ut vasa sanguifera comprimantur, commendandae sunt.

c. Curatio haemorrhoidum coecarum.

Plurimum hic valet vitae ratio morbo praesenti adaptata; cibi eupepti, potus calorem temperans et remedia alvum leniter ducentia, sedesque antea duras emollientia, quod quidem maxime inter molimina valet haemorrhoidalia, ubi varices intumescunt, sunt praebenda, ex. gr. Cremor Tartari, Ol. Ricini, Flores sulphuris, simul clysmata mucilaginosa ex decocto Althaeae parata. Hominibus, quorum ani pars exterior nodulis illis haemorrhoidalibus est obsita, utilissimus est usus sellae ligneae et perpurgatio loci affecti ope spongiae aqua

tepida madefactae saepius repetita. Prae omnibus autem in curandis his nodulis causa admodum variabilis est respicienda. Modo causa petenda est ex plethora vel universali vel abdominali, modo tales nodos in feminis sanguine abundantibus ortos videmus, vel annis climactericis, vel si illa ex causa menstruatio subito est suppressa. Hic venaesectio in pede est instituenda et hirudines ad anum applicandae, illic, si nodi ex motu sanguinis admodum retardato provenere, medicamenta alvum ducentia, amara et roborantia, Millefolium, China, ferrum, sunt praebenda. Emetica hic fere prorsus sunt omittenda, praecipue si fluxus adhuc perdurat; qui quidem si cessavit et ructus biliosi adhuc exstant, emetica multum possunt prodesse, nam eo, quod organa commovent gastrica, sanguinis motum adjuvant. Causa, quae haemorrhoides coecas effecit, sublata et nodulis propter nimiam venarum laxitatem durantibus, medicamenta localia et adstringentia et roborantia in usum sunt vocanda. A nonnullis praecipue frigida commendantur clysmata, primum semel per diem, quatuordecim diebus elapsis ter per diem repetita. Ab initio talia clysmata tepidiora esse debent et sensim sensimque frigus potest augeri. Haec clysmata aegrotus per longius temporis spatium retineat necesse est. Hic quoque possunt commemorari insessus frigidi et ani fomentationes frigidae. Si status adest torpidus, cataplasmata frigida ex solutione aluminis vel Vitrioli Martis, ex decocto Cort. Quercus, Gall. turcicarum, Bistortae, Tormentillae, vel mero, vel alumine commixto, sunt adhibenda. Omnia haec medicamenta localia prorsus sunt rejicienda, si haemorrhoides coecae criticae sunt naturae et ex ple-

thora abdominali venosa provenere, si aegroti vergunt ad apoplexiam, vel vomitum cruentum.

Haemorrhoides coecae interdum gignunt dolores, qui ex diversis causis possunt oriri. Hic dolorum fons in actione vasorum gastricorum nimis erethica cernitur, quo sanguinis impetus ad anum augetur et vasorum parietes ultra modum extenduntur; tum alvus remediis jam pluries dictis leniter est ducenda, vapores tepidi, cataplasmata emollientia in usu sunt; illic ex affectionibus rheumaticis et arthriticis originem ducunt, tum maxime valent hydrargyri praeparata. Si ex nodulis protrusis et sphinctere constrictis oriuntur dolores, illico sunt illi reponendi. Qui quidem ut possint reponi, aegrotus in ventrem decumbat, necesse est. Repositio ipsa lacinia perficitur lintea albumine vel Ol. Lini inuncta. Si varices occurrunt inflammati, venaesectio pro inflammationis gradu et aegroti constitutione in brachio est instituenda, hirudines ad anum applicandae; interne medicamina antiphlogistica danda. Eodem modo vitae ratio est mutanda. Inflammatione sublata, multum juvat tertio vel quarto quoque die emeticum dedisse et diebus, ut ita dicam, intercalaribus Calomelana cum Opio vel Extc. Hyoscyami. Simul, ne sanguinis motus impediatur, aegroti aut in stragulo cubent aut in corona sedeant, necesse est, ne varices comprimantur eoque dolores augeantur. Obstructio ferenda non est, sed ex contrario sedes sunt adjuvandae. Clysmata hic fere nunquam locum suum tenent, adhibita vero ex mitissimis rebus, ex. gr. lacte, Ol. Amygdalarum, Ol. Lini, constare, oportet. Aegrotus, si ventris onus ponat, aut ita in lasano sedere debet, ut pedes altius sint positi, aut sine

ullo adjumento ventrem exoneret, necesse est. Quo quidem peracto, anus non charta est perpurgandus, sed spongia molli. Simul respiciendum est, utrum anus inflammatus sit, necne et quemnam gradum assecuta sit inflammatio. Si magna est et omnia suppurationis intrantis signa adsunt, remedia tepida et emollientia adhibeantur, clysmata ex lacte, decocto polentae avenaceae oleo commixto, ex decoct. Flor. Sambuci, cui Extr. Hyoscyami est additum, parata. Inflammatio si torpida est, remedia postulat magis excitantia, fomentationes vinosas et spirituosas, clysmata frigida. Passim eo dolores oriuntur, quod singuli nodi intumescunt et propter nimium parietum densationem inflammantur. Optime nodulos illos findes et ut sanguinis fluxus coerceatur, aqua frigida elues. Tunicae varicis si admodum sunt durae et densae, totus saccus cultro est auferendus. Interdum fit, ut plures sacci in suppurationem transeant; tum suppuratio cataplasmatibus tepidis est adjuvanda et abscessus suo tempore aperiundus; quod quidem si omittitur, facillime ani fistulae gignuntur. Passim ex haemorrhoidibus coecis sanguinis copia permagna effunditur; tum eadem curandi methodus, jam contra haemorrhoides fluentes laudata, est adhibenda. Quae quidem si nil valet, varices sanguinem mittentes sunt removendi. Modo tales varices infra sphincterem sunt positi et perspicui, modo supra hunc musculum oculos latent. Haemorrhoides coecae saepe magnitudinem modum longe excedentem assequuntur; tum sedibus protruduntur, laeduntur et timendum est, ne indurentur vel dirrumpantur et haemorrhagias efficiant. Hic unica salus ex varicum exstirpatione est petenda; si critici esstitere, ea

cautio est adhibenda, ne omnes simul, sed singuli sensim sensimque exstirpentur. Tres methodi tales varices exstirpandi, sunt laudandae; vel ferro candenti, vel ligatura, vel cultro possunt removeri. Ex veterum scriptis patet, hos ipsos saepissime ferro candenti esse usos, ad tales saccos haemorrhoidales tollendos (καίειν δὲ καὶ μηδεμίαν ἐᾶσαι ἄκαυστον τῶν αἱμοῤῥοΐδων); immo singulare exstabat instrumentum, quo haec operatio perficiebatur, αἱμοῤῥοϊδοκαύστης dictum. Ligaturam quam maxime commendarunt **Bell**, **Bichat**, **Howship**, incisuram **Abernethy**, **Hey**, **Kirby**, **Dupuytren**. Inter omnes primum tenet locum culter; nam ex ferri candentis et ligaturae usu vehementissimas affectiones, dolores, inflammationem venarum, colicam aliaque provenire mala experientia docuit. Operatio cultro facillime est perficienda, si varices ad anum sunt positi; si altiorem tenent locum, ab aegroto deprimantur, necesse est. Varices magni et duri cultro findantur et singulae parietum partes forfice abscindantur; parvi varices statim prorsus cultro removentur. Prae omnibus haemorrhagia est timenda; quae si intrat, clysmata frigida, injectiones aquae vulnerariae Thedenii sunt adhibendae; cum haec remedia sunt irrita, rectum linamentîs est implendum. Sed passim accidit, ut omnia frustra adhibeantur; aegrotus singularem sentit in abdomine calorem, vires collabuntur et mox vita perit.

d) Curatio haemorrhoidum mucosarum.

Haemorrhoides mucosae non tam periculosae sunt, quam fluentes et coecae, et in universum aegroto minores afferunt molestias, utroque haemorrhoidum genere jam dicto. Si indoles exstat haemorrhoidalis, criticae

sunt et hanc ob rem nunquam supprimendae. Quum haemorrhoides mucosae plerumque ex statu atonico proficiscantur, praecipue medicamenta adstringentia et roborantia, Millefolium, Trifolium fibrinum, Lichen islandicus, Simaruba, Quassia, China et ferrum sunt adhibenda. Simul maxime est necessarium, ut morbi haemorrhoidibus mucosis conjuncti, e. c. arthritis, rheumatismus etc. respiciantur. Si tantum ex atonia vasorum recti locali provenere, clysmata adstringentia, hancce vasorum laxitatem auferentia, sunt applicanda.

e) Curatio haemorrhoidum suppressarum.

Subitanea quaeque fluxus haemorrhoidalis suppressio plerumque ex causa noxia proficiscitur externa, praecipue refrigeratio pedum, ani, abdominis, pavor et ira, ardor ventriculi et cibo et potu irritante effectus, nimiae corporis exercitationes sunt accusandae. Tales haemorrhoidum suppressiones fere semper mala admodum periculosa sequi, non est, quod commemorem. Hic statim auxilium est ferendum, nisi aegroti celerrime pereant. Quum primo tales affectiones magis inflammatoriae, tum spasticae sint naturae, ab initio methodus antiphlogistica, deinde autem antispasmodica est adhibenda. Sanguinis copia sufficiente detracto antispasmodica sunt indicata; alvus ducenda est Ol. Amygdalarum, Ol. Ricini et clysmatibus antispasmodicis. Simul abdomen fomentis emollientibus est obtegendum et unguentis spasmos placantibus perfricandum. Interne multum proderunt Ipecacuanhae doses parvae, extract. Hyoscyami et Opium. Praeterea omnibus nervis medico est enitendum et in eo laborandum, ut fluxus suppressus restituatur. Quam ob rem hirudines ad anum sunt apponendae et

cucurbitulae ad regionem sacram applicandae, clysmata calida simul cum insessibus calidis adhibenda. His remediis, si illico adhibentur, plerumque fit, ut fluxus restituatur et affectiones graves tollantur. Quae quidem omnia si nil proficiunt, si haemorrhoides suppressae ad fluxum non rediguntur, praecipue causa est respicienda.

f) Curatio haemorrhoidum obstructarum.

Quum complures noxarum, quae haemorrhoides obstruunt, difficillimae sint remotu, non minus difficile est, haemorrhoides restituere; pessimum autem est, si haemorrhoides obstructas mox magna sequuntur mala. Idem valet de fluxu haemorrhoidali, si jam diu erat obstipatus; nam, quamvis hic sit restitutus, nihilominus passim morbus inde profectus remanet et omni curandi methodo tenaciter resistit. Si casus occurrit recentior et aegrotus nonnunquam molimina haemorrhoidalia sentit, haemorrhoides facilius possunt ad statum pristinum redigi, quod eo magis est exoptandum, quo periculosior novus est morbus. Prae omnibus hunc in finem vitae ratio optime est instituenda; ut quaeque refrigeratio arceatur, medicamenta adstringentia seponantur, sordes gastricae removeantur et dyscrasia jam vigens tollatur, curandum est. Tum bene observari debet, qualis constitutio sit aegroti. Si fortis est naturae et sanguine abundat, si plethora venosa abdominali laborat, venaesectio in pede instituatur, hirudines ad anum applicentur, interne Crem. Tartari et remedia vegetabilia calorem temperantia adhibeantur, necesse est. Cum aegrotus magis erethicae est naturae et ad spasmos abdominales admodum propensus, interne Valeriana, Castoreum, Asa foetida, externe clysmata antispasmodica et balnea calida locum tenent; sin atonia exstat, medicamina adstringentia et roborantia, Millefolium, Quassia, China, ferrum sunt indicata. Quae quidem omnia si bene succedunt, tali curandi methodo, singulis casibus adaptata, molimina haemorrhoidalia restituuntur et ut adjuventur, lavacra, insessus, et extremitatum inferiorum frictiones sunt adhibendae; praeterea aegrotum quotidie corpus ambulando sub dio exercere, opus est. Equitatio hic praecipue potest commendari. Plerumque tamen in atonicis hominibus molimina illa haemorrhoidalia nimis sunt exigua et nullum sanguinis profluvium efficiunt, nisi remediis medicus utatur irritantibus et sanguinis ad rectum defluxum augentibus; quae quidem vulgo dicuntur p e l l e n t i a et

magnam in curandis haemorrhoidibus obstructis assecuta sunt celebritatem. Sed eandem ob causam factum est, ut saepe his remediis perperam uterentur medici. Non solum non prosunt haec medicamenta, sed etiam noxam afferunt, si aegroti vel fortis, vel erethicae sunt naturae et ad spasmos admodum propensi; non minus temerarium est, si contra eas adhibentur haemorrhoides obstructas, quae per ullum evanuere morbum, talia medicamenta non ferentem. Ergo eorum usus unice tum est commendandus, cum causa remota haemorrhoidum obstructarum est sublata, hae tamen propter atoniam tractus intestinalis non redeunt. Nunquam haec medicamenta adhibere licet, si hominibus aetate jam provectis haemorrhoides fluentes non redeunt.

Remediis pellentibus haec praecipue sunt adnumeranda: Crocus, Aloe, Myrrha, Colocynthides, Helleborus, Ferrum, Borax, tum nonnulla composita, ut pilulae Balsamicae Hoffmanni etc. Effectus horum medicamentorum corporis exercitationibus quotidianis, usu aquarum acidum carbonicum continentium et vini burgundici et campanici, lavacris, frictionibus extremitatum inferiorum abdominis, cucurbitulis internae crurum faciei appositis, clysmatibus irritantibus, balanis ex beta rubra, cepis, raphanis paratis et ante applicationem in bilem bovinam immersis, potest adjuvari. Molimina haemorrhoidalia si jam fortiora sunt facta, priorem gradum adipiscuntur venaesectione in pede facta et hirudinibus ad anum applicatis. In universum curatio haemorrhoidum obstructarum melius succedit tempore aestivo. Nihilominus passim accidit, ut nullo tempore, nullaque curandi methodo fluxus haemorrhoidalis restituatur in integrum, sed ejus locum occupent congestiones vel ad hoc vel ad illud organon, vel orgasmus universalis. Quod si factum est, methodus antiphlogistica, ne aegrotus detrimentum capiat, est adhibenda.

g) Curatio haemorrhoidum incongruarum.

Quod prognosin attinet, in universum certe dubia est dicenda; nam, partim facillime talis fluxus incongruus omnem modum longe excedit, partim efficit, ut organi affecti structura mutetur, partim ex eo potest colligi, corpus quam maxime esse laesum; qui quidem status, si in hominibus jam aetate provectioribus existit, plerumque prodromus est apoplexiae lethalis. Curatio haemorrhoidum incongruarum difficillima est, nam ut ipsas

cautissime medicus aggrediatur, postulant. Prae omnibus illa remedia prorsus sunt seponenda, quae haemorrhoides magis perturbant; huc numerandae sunt venaesectiones intempestivae et emetica saepius repetita. Sed altera ex parte admodum est monendum, ne sanguinis profluvium incaute supprimatur. Hoc fieri tantummodo potest, si fluxus haemorrhoidalis congruus rediit, vel si incongruus tantam sanguinis copiam effundit, ut, cum per longius temporis spatium durent, de aegroti vita actum sit. Curationis caput in eo est, ut fluxus regularis restituatur. Hic iisdem regulis obsequendum est, quae jam supra in curandis haemorrhoidibus suppressis praescriptae sunt; praeterea autem ratio organi, quod munus sanguinem haemorrhoidalem secernendi suscepit, respicienda est. Tum altera quoque exstat indicatio, organon affectum a quaque noxa tuendi. Omnia sunt removenda, quae organon irritant et tali modo congestionem sanguinis augent; deinde congestio ipsa, si nimiam assecuta est intensitatem, venaesectione et hirudinibus ad locum affectum applicatis tollenda atque irritabilitas organi morbo correpti narcoticis est hebetanda. Denique nonnulla verba sunt facienda de vesica urinaria haemorrhoidibus incongruis affecta. Quum plerumque sanguinis missio sit impedita, vesica dilatatur, immo inflammatur. Catheter tempestive ingestus, balnea calida et fomentationes talem exitum possunt prohibere.

Lichen haemorrhoidalis et aegroto et medico magnam affert sollicitudinem. Mundities prae omnibus est commendanda; vestimenta saepius sunt commutanda, regio pudendi non calefiat et perinaeum saepius spongia mundetur, necesse est. Molestiae si magis magisque crescunt, usum plumbi, Mercurii sublimati corrosivi necessarium reddunt. Indurationes, ulcera, fistulae secundum praecepta chirurgiae sunt curandae.

V I T A.

Ego Carolus Reinholdus Heydloff, fidei evangelicae addictus, die M. Julii quinto anni millesimi octingentesimi decimi quinti Leucolimnae Thuringorum natus sum patre Joanne Henrico, redituum praefecto, matre Friderica Augusta, e gente Gleissberg, quos carissimos parentes adhuc salvos veneror.

Primis literarum elementis imbutus sum a Clar. Abel, sacri verbi ministro. Anno MDCCCXXVIII. petii scholam Portensem, quam Beat. Ilgen, Beat. Lange et Cel. Kirchner rectoribus florentem per quinque annos frequentavi. Anno MDCCCXXXIII. me contuli ad gymnasium Nordhusanum, quod Cel. Schirlitz directore floret. Maturitatis testimonio instructus A. MDCCCXXXIV. ab Ill. Pernice, t. t. prorectore, et Beat. Dzondi, t. t. Ord. Med. Decano, civibus academicis Halensibus adscriptus sum. Per annum his interfui lectionibus: Ill. Gerlach de logice; Ill. Schweigger de physice; Ill. a Schlechtendal de botanice; Ill. Germar de mineralogia; Beat. Schweiger-Seidel de chemia; Clar. Moser de osteologia; Ill. d'Alton de anatomia et arte cadavera rite secandi; Ill. Kaemtz de physice.

Anno MDCCCXXXV. me contuli Bonnam, ibique ab Ill. Naecke, t. t. rectore, et Ill. Bischoff, t. t. ord. med. dec., in numerum civium academicorum receptus sum. Ibidem hosce viros audivi disserentes: Ill. Bischoff de encyclopaedia; Ill. Goldfuss de zoologia; Beat. Nees ab Esenbeck de botanice pharmaceutica; Ill. Windischmann de physiologia; Ill. Nasse et Ill. Naumann de pathologia et therapia et generali et speciali; Ill. Bischoff de chemia; Ill. Hüllmann de historia medii aevi; Ill. Loebell de historia recentiori; Ill. a Schlegel de historia Romana; Ill. van Calker de psychologia.

A. MDCCCXXXVI. petii hanc almam Fridericam Guilelmam et ab Ill. Heffter, t. t. rectore magnifico, et Ill. Wagner, t. t. ord. med. decano spectabili, civibus academicis adscriptus, ex illo tempore his interfui lectionibus: Ill. Mitscherlich de chemia et organica et anorganica, Ill. Busch de arte obstetricia. Exercitationibus interfui clinicis et medicis et chirurgicis et obstetriciis et ophthalmiatricis Ill. et Cel. virorum, Beat. Bartels, Wolff, Barez, Rust, de Graefe, Jüngken, Busch.

Quadriennio studiorum absoluto, tentaminibus tam philosophico quam medico et examine rigoroso superatis, dissertatione et thesibus rite defensis, spero fore, ut summi in medicina et chirurgia mihi tribuantur honores.

THESES.

1. Syphilis localis non exstat.
2. Cutis pulmo.
3. Respiratio non unicus caloris fons.
4. Ovum avium aëri est pervium.
5. Ex crystallisatione, qualis compositio sit corporis, colligi potest.
